

De parotide : dissertatio inauguralis medica ... / auctor Carolus Josephus Huppertz.

Contributors

Huppertz, Karl Josef.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Form. Feisterianis, 1824.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/jm4pxmwe>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE
P A R O T I T I D E.

D I S S E R T A T I O
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA
BEROLINENSI
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE VII. M. JANUARII A. MDCCCXXIV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR
C A R O L U S J O S E P H U S H U P P E R T Z
R H E N A N U S.
O P P O N E N T I B U S
RICH. MOLINEUS, MED. CAND.
FR. ROUGEMONT, MED. CAND.,
JOH. SARBURG, MED. CAND.

BEROLINI,
FORMIS FEISTERIANIS.

Digitized by the Internet Archive
in 2016

PATRUO, TUTORIQUE MEO
DILECTISSIMO ET SUMME COLEND O
FRANCISCO JOS. HUPPERTZ.

PRIMITIAS HASCE PIO ANIMO
CONSECRAT

AUCTO

Proemium.

Quum hic et illic disquirerem, quid argumenti ad dissertationem inauguralem conscribendam desumerem, morbi historia mihi placuit, cui ab auctoribus est nomen Angina parotidea, parotitis. Duae potissimum res me impulerunt, ut circa hanc materiam versarer, primum enim hunc morbum bis observavi, deinde forsitan adhuc aliquid dici potest, quod originem hujus morbi in lucem proferrat clariorem.

Via, quam inire mihi placuit, est, quod primo historiam et symptomata morbi, dein collationem ejus cum aliis morbis et ejus signa distinctionis recenseam, his obsequatur Aetiolōgia etc.

Sufficienter inspicio, experientiam meam non esse sat amplam ad morbum illustrandum, cuius origo tanta caligine obnubilatur; tamen spero, fore ut nihil vituperii suscipiam, si forsitan quaedam veritati minus consentanea proferrem; lectores enim benevoli bonae voluntatis et nisus utilitatem adferendi rationem habebunt

Denominatio morbi.

In primis apud auctores haec varia inveniuntur nomina. Ab Anglis denominantur Mumps, a Gallis Oreillons, Ourels, a Toscanis Orecchioni, a Banoniensibus Gotoni, a Genuensibus Gotazze. Narbone ubi frequentius occurrit, gaudet nomine Galis, si febris mitior est, si vero valde urget, tunc Cournoudos. Germanis Baurenwetzel, vulgo Tölpel nominatur.

Quibusdam Angina sive cynanche parotidea vocatur, sed minus recte, quia sub nomine Angina deglutitionis, respirationis vel utriusque impedimentum intelligitur, cuius causa supra thoracem, et in ipsis quidem partibus eas functiones absolventibus existat oportet.

Haecce parotidis forma, cum ex atmosphaerae vicissitudinibus ac plurimorum medicorum consensu, originem trahat, nobis ean parotitidem psycticam ($\Psi\upsilon\xi'\varsigma$ refrigerium) nominare placuit.

Historia morbi.

Morbum, quem discribendi mihi est animus, jam ab Hippocrate ab aliisque medicis antiquioris aevi observatum et descriptum esse, ex his verbis Hippocratis in prima sectione libri I^{mi}

„de morbis epidemicis elucet“
 vidimus tumores pone aures, in multis hominibus ad unum tantummodo auris latus se referentes, in plurimis vero a febribus liberis et non lecto tentis utriusque lateris glandulas occupantes. Apud aliquos inflammatio minime erat pertinax, et resolutio tumorum succedebat pravis carens posthumis, Tumores hujusmodi vix unquam suppurationem subibant. Ex indole molles erant et doloris expertes. Hocce morbi genere duntaxat juvenes et viri optimae aetatis, praecipue luctantes in palaestris, correpti erant; mulieres vero rarius in parotidum tumorem incidebant. Plurimi laborabant tussi sicca, cum vocis raucitate conjuncta. Apud nonnullos detumescentibus parotidum tumoribus eveniebat, ut humor, qui parotides aliasque proximas glandulas occupabat, metastasi ad scrotum transferretur. Febris plus minusve urgebat.

Inter recensiones hoc de morbo quaedam nobis tradit Gaspari Observat. Venet. 1731; Richard Morton oper. T. II. p. 40. hunc morbum sub nomine febris testicularis describere videtur.

Joannes Targionius Torzettius *) parotitidis epidemicae vere anni 1750 in Italia grassantis mentionem facit.

Laghius parotidem hanc Bononiae anni 1753 epidemicam fuisse narrat, apud aliquos morbus erat mitior et febrem non movebat, nec aegros lecto addicebat. Si autem gravius affligebat, vel cum febre incipiebat, vel febris ad eum accidebat, vel mitis vel vehemens, interdum per aliquot dies persistens et vespere suas accessiones renovans. Tumore parotidis evanescente metastasis ad testiculos in viris, in foeminis autem doloribus lumborum et pubis correptis ad pudenda contigebat.“ Rochard, Journal de Medecin. 1757. P. 379. observavit: si unius solum lateris parotidem tumor afficeret, etiam metastasin ad testiculum ejusdem lateris transferri; sin vero utri-

*) Prim. Reccolt D'osserv. med. p. 176.

usque etiam testiculos ambos affici, additque eos fuisse endemicos.

Russel, *Oeconomia naturae in morbis glandularum anno 1762, contendit, morbum esse epidemicum simulque contagiosum.*

Louis (*Encyclop. sub titulo Oreillons*) asserit, telam cellulosam magis quam substantiam parotidis correptam esse.

Plures auctores, qui de hoc morbo scripserunt, hi sunt:

Robert Hamilton in *Transactions of the Royal Society of Edinburg. T. II. et London med. Journal Vol. XI. 1790. P. II. p. 190.*

Nosologie methodique de Sauvage. T. I. p. 445. et 550. T. II. p. 413.

Uebersetzung in der Sammlung auserlesener Abhandlungen z. Gebr. f. prakt. Aerzte. Bd. XIV. p. 34.

Cullens Anfangsgründe der prakt. Arzkst. Deutsche Uebers. 2te Ausg. I. Bd.

Lieutandii Synopsis univ. prax. med. l. 2. Sect. 2. Palaviae 1777.

Histoire et Memoires de l'Academie de sciences de Toulouse. T. I. p. 86.

Journal de Medicin. T. VII.

Samuel Gottlieb Vogels Handbuch der

pract. Arznwiss. für angeh. Aerzte. Stendal
1795. Thl. 4. S. 158.

Joh. Christ. Reils Fieberlehre. Bd. II. S,
498.

Vogel de cog. et curand. c. h. affect.
§. 192.

Selle med. clinica.
Eycrel Comment. in Stollii Aphorism. T.
II. p. 41.

Laghi Comment. Bonon. T.V. P.I. p. 117.
Burseri a Kanifeld. Institut. med. practic.
Vol. III. P. II. p. 207.
Ideen zur Diagnostik von Wichman. Bd.
I. S. 151. Hannover 1800.

Defanitio morbi.

Parotitis payctica inflammationem glandulae parotideae significat cum tumore ejusdem et dolore aducto, quo fit ut respiratio et masticatio reddatur difficultis.

Symptomata et Diagnosis parotitidis psycticae.

Morbus saepius in Anglia et Italia tempore vernali et autumnali epidemice grassatur. Prae aliis ab illo corripiuntur juvenes

et adulti ad annum usque 30um, rarius foeminae, rarissime senes et infantes, in quibus non ad tantam provehitur intensitatem. Saepius prodromis incipit, quae sunt:

Horripilationes vagae, lassitudo et dolores artuum, inquies animi universalis, interdum quaedam animi conditio prava, quae describi non potest, his succedit tumor durus unius vel (quod crebrius evenit) utriusque glandulae parotideae, quae magnitudinis variae est, modo planior modo eminentior, jugulum ac mentum collaris adinstar circumdans et nonnumquam tantus, ut totam faciem effigiemque deformet, maxilla inferior non potest moveri nisi magnis doloribus. Non raro ipse tumor protenditur ad glandulas submaxillares uti ad tonsillas, quo fit ut tam manducatio quam deglutitio ipsa difficultis redatur. Color cutis vix est mutatus, interdum integumentorum oedema videndum est. Quandoque tamen deest oedema, sed tumor valde durus, tensus est et vehementissime dolet, atque rubore quadam quasi erysipilatode suffunditur, qui totam faciei plagam occupat. Sed nonnumquam tamen accidit, ut dolor aequo et color plane deficiat. Si morbus mitior est, nec febriles incenduntur turbae, nec lecto ae-

gri tenentur. Si vero gravius afflit, si influxus admittuntur nocivi, uti aura frigida, vicissitudo atmosphaerae, praedominans electricitas, tum vel febris simul cum eo incipit, vel febris adeum accedit, nunc vehemens nunc mitis, et febris per aliquot dies cum tumore versatur; plerumque est characteris continuae remittentis, vespere suas renovans exacerbationes. Interdum ingrediente aut augmentum sumente morbo aegri cephalaea, nausea et crebris vexantur vomitibus, etsi lingua non sit tecta, neque gustus oris adsit amarus, neque adpetentia ciborum deficiat, nihilque materiae depravatae, sed solus potus aut cibus ventriculi ejiciatur, tamen hocce vomituriendo leviores redduntur, ab anxietate et inquietudine plurime liberantur et conquiescunt. His etsi raro adjunguntur suspiria crebra, facilis in Lypopsychiam lapsus, anasarca non dissimilis illi, quae nonnunquam scarlatinae supervenit magna cum respirandi difficultate et febri vehementi. Secundum Hamiltonis experientias plerumque sudor vaporosus in partibus affectis partialis aut universalis erumpit, quo vel tumor imminuitur, vel plane evanescit.

Tumor parotidum saepe inopinatae disparet, ac convertitur in viris ad scrotum, alter-

uter testis sive uterque phlegmone corripitur vera; in foeminis metastasis observatur ad mammae, ad ovaria, ad pudenda cum dolore lumborum, ac si menstrua imminarent, quae utique ant maturius erumpunt, aut eorum loco pruritus et caloris sensus pudendum insolite invadet febre magis urgente.

Illis autem quibus vomitus supervenit, a metastasi ad testiculos raro afficiuntur. Alios e contrario aegros, decedente parotidum tumore, delirium phreniticum cum dira cephalaea invadit, quod tamen aegrotum relinquit ad parente scroti vel testiculorum tumore. Non minus observatum est, morbum converti ad pectus, unde oritur spirandi difficultas, tussis etc. Quod attinet febrim non raro diversissimam adipiscitur naturam ut indolem nunc inflammatoriam, nunc gastricam, nunc vero nervosam malignam habeat. Dum nervosa febris hunc morbum comitatur, tum funestissimam, malignam, ulcerosam aut gangraenosam dixeris, hinc autem maxime symptomaticam esse parotitidem, censemus.

Morbus solvit sudoribus vaporosis, qui vel exsudant ex ipsis partibus affectis, vel ex totius corporis superficie, si aegri lecto tenen-

tur. Rarius per urinam turbidam, sedimentosam aut diarrhoeam crisis agitur.

Differentiae parotitidum inter et similares morbos.

Parotitis vix potest confundi cum angina faucium; in eo enim potissimum discrepant, quod haec sedem teneat ad fauces; in posteriore oris parte videmus tumorem ad faucem rubicunde tinctum; major est deglutiendi et spirandi difficultas, vox magis est alterata, rauca, nasalis; tumore caret externo, saepius transit in auppurationem et indurationem, quam parotitis; non observantur metastases parotitidi propriae.

Majorem similitudinem habet cum argina tonsillari, sed depresea linguae radice ac faucibus luci obversis in conspectum facillime cadit rubor ac tumor unius vel utriusque amygdalae ad contiguas vix non semper protensus partes. Nonnunquam moles tonsillarum ad eum gradum crescunt, ut vel fauces penitus occludant, vel versus posticas protrusae nares respirium praepediant et vocem alterent, veletiam ad angulum maxillae inferioris visibiliter promineant. Continua molestia secernendi mucum et deglu-

tiendi necessitas; spiratio et deglutitio magis est dolorifica, caret metastasibus certis, saepius aetatem infantilem et puerilem invadit, (praesertim diahesi scrofulosa laborantem) quam parotitis. Proclivitas remanet in eundem morbum saepius subeundi, non ita apud parotitidem, nam hucusque nondum observatum est, parotitidem bis invasisse eundem hominem.

Antiaditis exitum in suppurationem amat, quae rarissime observatur grassante parotide.

Parotitis distinguenda est a scrofula simplice, tumore in glandula parotidea insidente, quae praecipue in puellis usque ad aetatem pubertatis cernitur, semper deficiente perfectione acquisito habitu scrofuloso; sed solos infantes ad morbum scrofulosum propensos aggreditur. In principio magnitudinem fabuenabat, et sub cuti mobilis est, quin in exulcerationem proclivis sit, apud puellas aetatis naturioris pedetentim increscit, et quidem longo tempore, quin multum molestiae proficit. In infantibus citius increscit, atque non raro steatomatose ad enormem in vitam periculum intendens provehitur magnitudinem.

Scrofula fugax apud adolescentes durante

incremento adparens tantum magnitudinis gradum non adipiscitur ut possit mutari cum parotide, simulque sponte evanescit.

D i v i s i o.

Siquis plures species distinguere velit, dividendi principium vel a charactere inflammationis vel ab ortu morbi petatur; et parotitis distribuatur in inflammatoriam, phlegmonosam, erysipelatosam, catarrhalem rheumaticam et nervosam, in malignam et benignam. Illa febribus intermillentibus malignis et pestilentibus, haec febribus tertianis die decimo quinto vel vigesimo supervenit et plurime critica est.

Vel est simplex uti apud parotidem sporadicam et epidemicam, vel complicata cum aliis morbis uti cum scrofulosi, syphili, cumque pemphigo, quam complicationem ulteriorem observavit Langhans *). Quoad originem varia esse potest nunc enim idiopathica et primaria nunc symptomatica et secundaria.

Parotitis idiopathica epidemice grassans saepius est rheumatico-inflammatoria. Parotitis symptomatica febribus acutis et praeser-

*) Act. Helvet. T. II. p. 260.

tim malignis aut pestilentibus supervenit vel per diadochen, ut vacant, sive materiae morbifcae a nobiliori ad ignobiliorum partem translationem, vel per epignesin sive propagationem morbi aut novi symptomatis accessionem. Magni autem interest primone aut secundo modo oriatur. Generatim autem tumet vel ob majorem humoris influxum, vel ejusdem lentorem et densitatem, vel vasorum laxitatem, vel nervorum irritationem, vel humoris excernendi impedimentum et ductuum excretiorum obstructionem. Spasmum nervorum irritatione frequentissimam esse causam, multi contendunt. Non desunt, qui hujusmodi tumores distinguant in lymphaticos et erosos, et hunc morbum affectionem systematis lymphatici esse dijudicent. Sed partim in pluribus casibus inflamatio est manifesta, partim nobis clara notio tumoris lymphatici, originem suam non ab exsudatione lymphae trahentis, deest, et ipsa lymphae exsudatio est effectus vasorum sanguiferorum et non lymphaticorum.

Alia etiam parotitis occurrit habitualis, et frequenter constituit symptoma aliorum affectionum, quales in scyrrho, in carcinomate

glandularum parotidearum, in Iue venerea aliisque sub morbis observantur.

Exitus parotitidis.

Terminationes parotitidis pro circumstan-
tiarum originis et causae diversitate variare
solent. Ubi resolvi recusat, ejus exitus esse
potest suppuratio, induratio, parectama, quin
tamen inde ob ignobilis substratum notabile
redundet periculum. Resolutio plurime pro-
fertur die octavo, nono, decimo quarto per
sudores largos partis affectae vel totius cor-
poris, vel per Diarrhoeam, urinam sedimento-
sam, Epistaxis.

Cum in suppurationem transitura est, quod
tamen rarius observatur, dolor pungens et in-
tensior afflit. Tandem ubi tumor ad sum-
mum gradum ascenderit, hic dolor jam facta
suppuratione imminuitur, atque versus septi-
mum aut decimum quartum aegritudinis diem
vel sponte, sub somno interdum, abscessus
rumpitur, vel ad aperiendum matus obser-
vatur. Paucissimi scriptores exitum in sup-
purationem viderunt, excepto Hamiltone *),

*) Op. dict. p. 50.

ni in epidemica horum tumorum constitutio-
ne anni 1751 tumorem parotidis suppura-
tionem subeuntem vidit in juvēne novemde-
cim annorum. Tumor ille erat magnitudinis
normis et quidem in latere sinistro. Incisio
processus illum certiorem fecit, sedem suppura-
tionis non esse in glandula parotidea sed tantum
tela cellulosa, quae plane destructa erat.

Saepissime evenit ut adpareant metastases
in testiculos, aut in foeminis ad ovaria, ad
guina, ad labia majora febre inde vehemen-
tore. Solent tam parotidum quam testiculou-
m ejusmodi humores resolutione finiri, nun-
quam, quod sciam, suppuratione, si quidem
ota iis fiat medicina.

Laghius animadvertisit, impuberes et senes
minus laborare hac metastasi; mulieres vero,
namquam tumori parotidum rarius obnoxiae-
nt, detumescente eo dolore et sensu tensio-
nis affici, ac si menstrua immineant, interdum
iam maturius erumpentia; aut eorum loco
ruritum et caloris sensum pudendum praeter
consuetudinem invadere.

Bineti observatio est, tumorem parotidum
non evanuisse, nisi post venae sectionem do-
lore obtuso et tumore in scroto, et quidem
usdem lateris, in quo etiam tumor paroti-

dum suam habebat sedem. Ab eodem in muliere metastasis ad mammae conspecta est post venaesectionem. Tumores dissipati sunt sinus ullis remediis.

Hamilton narrat, interdum tumores parotidum et testium inter se alternare; decedent enim parotidum tumore dolor et tumor testium succedit, et hoc evanescente, idem in parotidibus iterum consequitur, quae alternatio saepius fieri potest. Sic tumores cum symptomatibus cephalicis alternare animadverterunt. Alios autem aegros delirium phrenicum cum dira cephalalgia, vomitusque rebellis invadit. Secundum Hamiltonis experientias bis evenit, ut unus testiculorum diurno testium tumore evanescerit. Funiculus spermaticus contractus erat, et patiens non de aliis molestiis, nisi de sensibilitate funiculi spermatici exaltata, conquerebatur.

Protolongus singularem metastasium speciem notavit. Anasarca, ei quae purpur scarlatiuae succedere solet non dissimilis, tumoribus parotidum summa cum spirandi difficultate et febri acuta accedit, quare hunc tumorem morbis exanthematicis adnumerandum esse putat. Interdum etiam peticula variolis morbillisque tumor parotidum adju-

ebatur. Quibus autem neutrum horum accidit, saepe converto ad pectus pravo humore ssis oboritur: quo accedit, ut aegri difficulte spirandi et anxietate vexentur.

Lethales parotitidis exitus vel a metastatica encephalitide, vel a contemporanea Pneumonia, Gastritide, vel a mutato charactere inflammatorio in nervosum aut septicum, dependent. Caeteris paribus parotitis trauma ta et metastatica in suppurationem, scrofula et maxime chronica in scleroma, parecma et exallaxin steatomatosam nititur.

Parotitidem febribus putridis, malignis apervenientem mali ominis esse, multi cent. Saepius in suppurationem transeunt; si ero illae parotides durae circulum quemdam versi coloris instar iridis habeant, aut rubrandae, lividae aut nigrae fiant; gangraenam non modo tumoris, verum etiam vicinarum artium induci, signum est.

A e t i o l o g i a.

Quod causam proximam parotidis attinet, connubio causarum praedis-ponentium et occasionalium quaerendam esse persuasum ha eo; id quod de aliis quoque morbis valet.

Natura et Nosogenia parotitidis epidemiæ psyciticae densa hodieque occultatur caligine, ipsique medici, qui morbum saepius observandum habuerunt, nonnisi parum attentionis huic argumento dilucidando dederunt. Puiatus uti jam antea fecerit Hippocrates causam proximam parotitidis in irritatione affectione nervorum posuerunt, quare convulsario modo plerasque fieri contendunt. Protolongus lympham quandam crassiorem, densiorem, solubilem et mobilem pro efficiente causa habet.

Babt. Burserius de Kanifeld morbum majore humoris influxu, vel ejusdem lentori vel vasorum laxitate vel ductuum excretoriorum obstructione nasci contendit.

Binet credit, causam quaerendam esse i alimento crassis et indigestis in iisque rebus omnibus, quae lympham proferant densiorerem.

Alii auctores tam veteris quam recentiores Aevi inter quos Gottlob Vogel notatus dignus est, majorem influxum, lentoremque humorum serosorum, lymphaticorum minore vel majore acrimonio et tenacitate praeditorum glandulam parotideam justo magis tendentiam et irritantium, causam morbi proximam continere asserunt.

Reilius morbum deducit a perturbatione systematis cuiusdam dynamici universalis, unde fiat, ut morbus epidemice grassans, plurime incipiat a prodromis.

Non desunt, qui censeant, hunc morbum esse contagiosum et ex Africa ubi morbus pestilentialis grassatus erat ventorum flatu ad nos perlatum.

Nobis videtur, si opinionem nostram modeste proferre liceat, plura pro rheumatico-inflammatoria origine pugnare argumenta, quorum sequentia nominasse juvabit:

1. Parotitidis psychicae initium a doloribus vagis, ac nisus eminens in metaschematos conspicuam cum rheumate analogiam demonstrat.

2. Parotitis epidemica ex iisdem proferatur causis, quas rheumati producendo idoneas esse comperimus, nempe ex atmosphaerae vicissitudine, humiditate ac praedominante electricitate positiva.

3. Hasce autem injurias, praesertim altioris gradus, in glandulas salivales directe influere posse, non solum earundem anatomica cognitio persuadet, quatenus salivales ductus in oris cavum patent, ac proinde in contactum immediatum cum aere inspirato perveniant,

est necesse; sed etiam quotidiana confirmare juvat experientia, qua auram frigidam et asperam aperto ore avide adspiratam non minus ac potum glacialem molestam quandam juxta ductus Stenoniani decursum producere sensationem, ad aures usque protensam, cuius notum erit. Immaterialis *aura* frigidae, si electricitatis influxus admittitur, in humanum organismum actio, etiam sine speciali contactu cum substractu concipi poterit, dummodo ejus versus imponderabilia atmosphaerica relatio harmonica tollatur.

4. Eadem parotitis vix unquam in suppurationem terminatur, atque hocce quoque intuitu cum rheumatismis convenit.

5. Etsi glandulosa et structura rheumaticis in genere affectionibus non faveat, ductus tamen salivales serosa membrana investitos esse, anatome docet; omnes vero tunicas serosas dilectum rheumatis substratum esse abunde compertum habemus.

Causae praedisponentes et occasio- nales.

Si causas parotitidis remotas indagamus modo disponentes modo occasio- nales, nunc ir-

constitutione corporis ipsa positas, nunc vitæ ratione acquisitas videmus.

Licet parotitis dispositionem exiliorem agnoscat, quam alii morbi, neutiquam tamen dispositio prorsus infitianda est.

Quidquid glandulas colli sensiliores reddit, dispositionem in illam inducit. Collaria amicula nimis calida teneritatem et sensibilitatem augentia, diathesis scrofulosa, abusus Hydrargyni et spirituosorum, malum syphiliticum, inspiratio vaporum acrum, peculiaris aeris constitutio, miasma epidemicum, calor magnus deficiente potu, anni tempus vernale et autumnale, nebulae densae et frequentes, aer paludosus, frigidus humidus et inconstans, nutrimenta crassa, indigesta, exercitia corporis fortiora. Praeter haec juvenes et adulti a pubertatis ingressu usque ad annum 30um in parotitidem epidemicam dispositi sunt, rarius foeminae, rarissime senes. Inter causas occasionales jure primum sibi vindicat locum aëris, cum vi manifesta tum maxime occulta et speciali hunc morbum producens; aëris et loci ex calido in frigidum subitae mutationes. In temporibus pluviosis, itemque vere et autumno parotitidem fieri ob sensibiles aëris quali-

tates ex Hippocrate *) discimus. Excercitationis corporis fortiores, quare milites die noctuque injuriis illis expositi, huic morbo saepissime subiguntur. Ad obvias magis ejusdem causas refrigerium pertinet, ex quo nempe hic morbus vernali atque autumnali potissimum tempore comparet. Potus frigidus, glacialis aestuanti gulæ ingestus, improvida collisudantis denudatio; equitatio vento in faciem ex adverso spirante. Inspiratio vaporum acrion, usus hydrargyri remediorumque acrion nimis protractus; excretio saliva sive sanguinis consueta suppressa, exanthemata suppressa et retrocessa, metastases variae, sordes gastricae biliosae. Affectiones traumaticæ, contusiones, corpora acuta aut non acuta parotiti vehementius admota emplastra irritantia; haec omnia originem parotitidis vel sporadicae vel endemicæ vel epidemicae inducere possunt. Videlur tamen adhuc peculiaris concurrere atmosphaerae qualitas, quae praesertim glandulis parotideis infensa redditur, ac sub certis circumstantiis potentius evolvitur, alias morbi raritas concipi nequiret. — Num fortasse ten-

*) Hippoc. Ab 3. Aphor. sent. 16 — 20 et 22. Constit. epid. ab Hippoc. descript. lib. 6.

sio electrica positiva, quam universim atmosphaerae nebulosae propriam esse novimus, gradus eminentioris causa est?

P r a g n o s i s.

Plerumque parotitis, si mitior sit, solius naturae ope inter paucos dies paulatim decrescit et finitur. Periculo caret et fere nunquam lethalis est. Specialiter tamen prognosia petenda est ex febris indole, ex complicazione cum aliis morbis, ex organo, in quod translata est metastasis, tum ex inflammatio-
nis parotidum intensitate et humorum magnitudine, tum ex causarum differentia, tum ex aetate subjecti laborantis.

Si febris gaudeat characteri rheumatico-inflammatorio vel catarrhali, si minus affligat, et non longo tempore persistat, tunc salus exspectanda est; si vero habeat characterem nervosum sive putridum, si gravius affligat cum siti, vigiliis, anxietate increscente et corporis assidua jectatione comitata, diuque insistat, quod praecipue incidit, quando malum epidemice grassatur, tunc morbus majore sti-
patur periculo.

In ancipiis res est, si parotitis cum sy-

philide et scrofulosi complicata est. Tumores in hoc casu facillime abeunt in scleroma et exallixin et steo tomastosam, unde premuntur nervi et vasa sanguifera colli, cui non raro obsequuntur aneyrismata, apoplexia. Si in suppurationem nititur, facillime ductus fistulosi formantur et pus sive ichor ad cavitatem pectoris defertur.

Parotitis febri lentae nervosae sive maligrae superveniens semper dubium reddit evenitum. Vulgaris opinio est, exortam parotitidem, si febrem et dolores mitget, salutarem fore, contra noxiam; sed quandoque febris, quae ante remiserat, paulopost vehementius exardescit periculum, quod abiisse videtur, revertitur. „In universum, Duretus et Puiatus dicunt: parotitis illa symptomatica sperabilem vitae salutem non facit

Bapt. Burserius inquit: parotitis per diaochen salutifera, per epigenesin vero orta et sympathica cum tumore molli sive cum sive absque inflammatione plerumque lethalis est.

Parotitis cito increscens et vehementem inferens dolorem pernitiosa est; tumores ab initio duri, paullatim aucti, tolerabili dolore stipati plurime salutem afferunt.

Tumores sine periculo evanescunt Hippo-

cratis testimonio, per alvos citatas, diarrhoeam, dysenteriam, per urinas cum sedimento crasso, per tussim cum sputis copiosis.

Inflammatio parotidum phlegmonosa tumore magno spirandi difficultatem et suffocationem inferre et aegros inter paucas horas e medio tollere potest.

Tumores parotidum sine bonis signis evanescere, neque ad exteriora converti, item dolores citra evidenter causam cessare, aut ad caput transferri, febre non judicata nec mitescente, pernitiosum plane est.

Tumores in viris ad testiculos, in feminis ad inguina, ovaria aut mammae metastasi translati, decrescente febre secundum experientias plurium auctorum facile resolvuntur; si nec negliguntur nec perperam curantur. Magis metuenda est parotitidis ad cerebrum aut ad pulmones conversio, et secundum Hippocratis et Cl. Boerhavii commentatoris Sydenhami *) experientias hae metastases plerumque perniciem afferunt. Vomitiones exstante parotidum tumore non periculosae sunt, atque a metastasi non dependent. Si vero tumor parotidum sive testicularum evanuit, febre,

*) In aphorism. Boerhav. §. 809. No. 5.

anxietate et inquiete increcente; tum prava metastasis ad ventriculum timenda est.

Anasarca nonnunquam parotitidi summa cum spirandi difficultate et acuta febre superveniens non expers est periculi.

Infantes, senes et feminae non tam vehementer corripiuntur quam juvenes et adulti usque ad annum 30um; feminis quam viris minus periculi imminet. Magnam in cuiusvis parotitidis eventu futuro praedicendo circumspectionem incultat constitutio epidemica.

T h e r a p i a.

Parotitidis cura iisdem fere, atque aliarum inflammationum rheumaticarum medela, submittitur regulis, atque ea tum causae, febris naturae, epidemiae regnantis, vehementiae, tum denique subjecti et complicationis considerationem sibi exposcit. Ubi febris gravius affligit doloresque inflammatorii ingentes existunt; antiphlogisticis validioribus, praesertim sanguinis missionibus, tum universis tum topicis interdum repetendis, locus est. Juxta sanguinis detractiones nitrum laudatur, cujus doses vel mayores vel minores pro inflammationis atrocitate exhibentur; item sal ammon-

niacum, et evacuans salinum, uti natrum sulphuricum tartarus tartarisatus fructu salutari non destituuntur; posthinc vero haustus salinus cum vino antimonii, aut cum refractis tartari emetici dosibus, nec non infusum sambuci cum nitro et oxymelle utiliter praescribuntur.

Denique plurimum conferunt manna, potus emollientes, aperientes, temperantes, decoctum graminis, serum lactis, emulsa nitrata, pediluvia calida, clysmata. Resolutionem accelerant linteal dupplicata sicca et calentia, aut demum inunctiones ex oleosis applicitae, fomenta emollientia et sicca; interdum vero nec fomenta ipsa bene feruntur. Majoris utilitatis et toleratu facilitiora sunt cataplasmata pane, lacte et malva confecta, aut ex simplice pulpa pomorum dulcium. Fomenta ex floribus verbasci, papaveris albi, malvae, seminiibus lini, papaveris rhoeados, floribus violaceis, sambuci, farina horidei; his interdum rucus et chamomillae flores adjici possunt. Emplastrum mercuriale, evitatio omnis refrigerii. Ut plurimum tamen, ubi febris minus urget, sanguinis missio et laxantia fortiora mittenda sunt; secundum Bineti et Hamiltonis experientias horum vice funguntur Ecco-

protica leniora, Thea melissae, camphora, spiritus minderer, vinum stibiatum.

Quam primum se attollit parotis insistente febri maligna, disquirendum est, criticane sit, an symptomatica? an caput et febrem levet, an morbum novo malo graviorem faciat? Si primum, curandum est, ut humor noxius, qui in eam confluit, universus ibi accumuletur, maturescat et facto pure exitus cito paretur. Si alterum, utilius est, leniter resolutionem tumoris moliri, debitisque evacuationibus naturam a sarcina sublevare.

Si acerbius doleat tumor, tunc ei admodum est cataplasma aut fomentum ex floribus violarum, Verbasci, papaveris rhoeados, Sambuci, malvae seminibus lini. Si suppuratione lente procedat, ea promoveri potest emplastro diachylo. Facto pure, tumor matutius scalpello aperiendus est monente Puiato; sed ab Acrelio *) narratur non semper tuto et sine periculo parotides, etsi perfecte suppuratas aperiri. Verum quando abscessus matuerant, aegris medicamentum purgans ex Manna, Rhabarbaro aut sale Epsomensi da-

*) Coment. societ. med. et philos. Edimburg. T. 1
p. 4. Sect. 1. No. 111.

uant. Aperiendus est tumor; si mole fauces coarctet, sanguinis circulationem impedit, suffocationem minetur. Ubi loco puris ichor acer et saniosus effluit, vulneris labia pallent aut livent, gangraenam prope esse significat; tum aliquid pulveris camphorae, corticis chinæ, decoctum corticis quercus cum asa foetida indatur necesse est.

„Si emollientia nihil proficiant, si tumor increscere perget, vehementerque doleat et rubeat; sanguis illico mittatur, monentibus Burserio, Riverio *), Transversario apud Lancisium **), Puiato ***). Pulsus parvi et impacilles non contraindicant sanguinis missiones, nam vires in hoc casu potius suppressae quam exsolutae, deficientes videntur.“

Si tumores glandulae parotideae ad scrotum aut testiculos metastasi transferantur, si exinde febris summopere increscat; tum continuo iteranda est venae sectio, adhibeantur fatus emollientes ut non modo dolor et inflammatio leniatur, sed tumor paullatim subsideat. Testes inflammati ne suo pondere ten-

*) Prax. med, lib. XVII. cap. 1. p. 354.

**) De nox. palud. effluviis libr. 2. capt. 5.

***) De morb. sect. 2. cap. XII. p. 198.

sionem funiculi spermatici inducant, suspensorio erunt sustentandi.

Universim, inquit Hamilton, parotitis epidemica methodum antiphlogisticam, venaesectionem et Purgantia non admittit, etenim exinde nascuntur metastases periculosae ad testiculos et ad cerebrum. Sudorem vaporosum calore externo et remediis excitantibus movebat; praecipue emplastro vesicatorio utebatur. Tumoribus glandulae parotideae, morbo sufficienter evoluto, admovebat emplastrum vesicatorium ad illum figendum; et tali modo prohibebantur metastases.

Si tumores testiculorum sive scroti vehementer doleant caleantque, tum tegantur linteo cerato; si vero sint frigidi ac oedematosi, tum pannus laneus tenuior adhibendus est. Si metastases ad encephalum, sive ad pectus sive ad ventriculum convertuntur, duo observanda sunt: nempe morbus praesens partim sua indole curetur, partim tumores glandulae parotideae vel scroti evanitos reproducere studeamus.

Encephalitis metastatica omnibus illis eget remediis, quae morbis inflammatoriis opponuntur, simulque principalem mali primarii curam injungat. Ad hunc scopum sanguinis

missionem interdum repetitam vel e brachio, e collo vel e pede instituimus; his adjungimus emulsiones cum nitro, tartari stibiati retractam, calomelanos magnam dosin. Inter remedia externa in communem curae deprimentiis scopum conspirantia, in primis spectant: pithemata frigida ad totum epicranium, ab cassis prius capilis, diligenter repetita. Glanulae parotideae, sive scroto, sive mammis omenta calida aut emplastra vesicatoria adolicimus; easdem tegimus panno laneo in decocto sive infuso florum chamomillae et sinapeos nigrae submerso.

Eadem fere est medela in pneumonia et gastritide metastatica.

Spastici ventriculi motus exposcunt mixturam Hulmianam, Riverianam, theam ex herba menthae et floribus chamomillae, clysmata oleosa et sedantia, paregorica et sedantia stomachica. Quodsi parotitis procedente tempore indolem synochi aut typhi adsciscit; nervina postea roborantia egregie opitulantur.

Parotitis in subjecto syphilitico requirit remedia antisiphilitica, mercuralia etc.

Eadem in homine scrofuloso curatur, subato charactere inflammatorio, antiscrofulosis, antimonalibus, stipitibus dulcamarae, extracto conii maculati etc.

P o s t h u m a.

De cura successionum potiorum eatēnus solum aliquid subjungimus, quatenus in primordio cum inflammatione vix exantlata intime nectuntur, de ejus charactere participant, ac ideo particulares quasdam expetunt in mendendo modificationes.

Factam in glandula parotidea suppurationem noscimus ex inflammatione praegressa et non resoluta, ex remanente sensu ponderis, plenitudinis et pulsationis, dolore, ex tumore et fluctuatione ad maxillas. Quare dum suppurationis indicia patent, ab initio semper remediis utimur blandis, emollientibus, aperientibus, ut puris exitus facilitetur. Cataplasma et fatus tumori superhabendi sunt, ut abscessus quantocytus maturari possit, quem denique promptissime chirurgica manu aperire oportet, priusquam major succedat glandularum consumptio. Patens denique ulcus injectionibus blandis solcite purgandum, ejusque consolidatio remediis internis cardiacis et nutrientibus, externis roborantibus suffulcienda.

Glandulae parotideae induratio resolvitur linimentis aromaticis, camphoraceis, ammoniacalibus, frictionibus mercurialibus, emplastro

iicutae, hydrargyri, oleo petrolei et oleis aetereis.

Scyrrhus, quam rarissime obvenit, et tunc pertinax sistit consectorium; mollibus enim remediis non levatur, acribus in cancrum horibilem vertitur. Optima remedia ad discendendum scyrrhum sunt mercurialia mitiora, apores aquae calidae, sulphuris, cinnabaris, ceti squillitici cum gummi ammoniaco. Fomenta ex succo expresso calendulae, Bellonae, hyosciami; solutio ferri acetici et carbonici, linimentum volatile cum opio. Si colores atroces urgeant, vel si vires deficiant ad cardiaca, tonica et nutrientia refugere sumus.

Generatim remedia repellentia, adstringentia, saturnina, quae glandularum tumorem facile relinquunt, aut materiam irritantem in oculo nobiliora conjiciunt, evitentur oportet.

AUCTORIS VITA.

Ego Carolus Josephus Huppertz, trigesimo mensis Aprilis die anni millesimi octingentesimi Heinsbergae, oppido Provinciae Rhenanae, natus sum. Primam aetatis partem Wassenbergae transeggi, ibique litterarum primordiis instructus sum. Dein anno millesimo octingentesimo decimo quarto Gymnasium, quod Kempii sub Rectore Bister florebat, cui maximas adhuc habeo, gratias, petii, ibique per tres annos studiis incubui. Post hinc studiis in Gymnasio Colomensi sub Rectore Seber et Professore Heuser, a quibns Logice et Metaphysice eruditus sum, absolutis, anni MDCCCXIX mense Martis Bonnam me contuli, ibique a cel. Hüllmann, ejns temporis Prorectore civibus academicis adscriptus, per tres annos et dimidium utriusque medicinae studiis operam dedi.

Virorum perillustrium atque celeberrimorum, quorum gratam memoriam nunquam ex animo dimittam, praelectionibus his interfui: Cel. Delbrück de Platonis praceptis humanarum, divinarumque rerum, de orationibus Thucydidis audivi. Interpretationi Taciti celeb. Prof: Arendt non defui. Cel. Prof. Mayer in Osteologia, anatome universali et speciali et in Physiologia, in cadaveribus rite disseçandis me quoque instituit. Cel. Prof. Kastner et Aug. Bischoff de Chemia, Physice experimentali et Pharmacia, Perillust. Nees ab Esenbeck de Botanice; cel. Prof. Goldfuss de Zoologia et Mineralogia; cel. Prof. Harless de Pathologia et Therapia generali, cel. Prof. Windischmann

de Psychologia disserentes audivi. Cel. Prof. Ernest Bischoff materiam medicam et artem formulas conscribendi medicas; perillust. Prof. Phil. a Walther chirurgiam specialem et morbos ossium utique Akiurgium; celeb. Prof. Nasse Therapiam specialem et morbos psychicos; celeb. Stein artem obstetrieiam me douerunt. Clinicis interfui institutionibus Nasse, a Walther et Stein.

D. IV. Aprilis A. MDCCCXXIII Berolinum me contuli et a cel. Prof. a Raumer, tunc temporis Recore, in numerum civium academicorum receptus sum. In therapia speciali Perill. Hufeland, in chirurgia et kiurgia celeb. Rust, celeb. Kluge in arte obstetricia um theoretica tum practica; in arte fascias imponendi experient. Dr. Jüngken mihi fuerunt Praeceptores.

Clinicis interfui exercitationibus medico-chirurgiis virorum illustrissimorum Graefe, Berends, Neumann, Rust.

Jam vero tentamine et examine rigoroso coram ratiosa facultate medica rite absolutis, spero, fore, ut iissertatione thesibusque rite defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

In respiratione gas oxygenium atmosphaerae re-
vera cum sanguine commiscetur, et sanguini venoso
non detrahit carbogenium;

II.

Gonorrhoea plurime caret indole syphilitica.

III.

Datur etiam hectica primaria.

IV.

Foetus in utero non potest infici syphilide

TIGHT